

remedio ecclesie contulimus. — Preterea aream adjacentem curie jam sepedicti Conradi cantoris juxta valvam beati Petri sitam, quam a nobis jure feudali tenuit, ad petitionem ipsius claustralem fecimus et ipsius curie adjectam banni nostri auctoritate communivimus. — Vacante etiam prepositura nostra majori, duas areas in nova civitate orientali a nobis et ab omnibus capituli fratribus petitione jam sepedicti Conradi cantoris collatas ecclesie ad luminaria et ordinationem ejusdem auctoritate banni nostri communivimus. — Locum etiam quendam, qui piscina ante fuerat episcopalis, juxta fratrum dormitorium situm, eisdem fratribus ante valde incommodum, ad commoditatem ipsorum contulimus. — Preterea ecclesie dedimus aream unam modicam, super qua fuerat aliquando domus cujusdam Hildebrandi nomine, que nunc divisa est ad duas curias domini Jacobi et Ottonis vicariorum, emptam a camerario nostro Henrico et suis filiis, et advocatiam ejusdem spatii, ab eisdem, qui tam aream quam advocatiam nobis resignaverunt, juste acquisitam.

Acta autem sunt hec predicta presentibus dominis majoris ecclesie canonicis: decano Conrado, cantore Conrado, Willelmo de Holten, Hugone, Frederico de Swerin, Reinoldo de Dasle, Heinrico de Tossem, Johanne de Bracle et multis aliis. Ne igitur istud aut oblivio deleat aut importunitas ingenii malignantis hec infringat, cartam hanc inde conscriptam sigilli nostri impressione signari jussimus.

Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXI. consecrationis nostre anno quarto.

*N<sup>o</sup> 2.* Bischof Siegfried bezeugt, daß zur Sühnung eines an einem Geistlichen verübten Todschlages von den Thätern vier Pfund Geldes an jährlichen Aufkünften aus der Münze zu Hildesheim ihm dargeboten, welche er der heiligen Maria (der Domkirche) gewidmet habe. 1221 (im Mai).

Gr. Diplom. Nr. 621, S. 422.

Sifridus Dei gratia Hildensem. episcopus. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod pro composi-